



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Quid sit fides. tit. 37

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

peccarunt Romani grauissimè, & etiam puniti sunt, sic iam potestas peccat, hanc libertatem credendi permittens.

QUID SIT FIDES.

TITVLVS XXXVII.

Fria sunt notanda. Primò, quid sit fides Christiana. Secundò, Cur Deus illam exigit ab homine: Tertio, Qui sint fructus eius. Primò, fides est fiducia certa consequendarum rerum, quæ promissæ sunt a DEO, pœnitenti corde propter Christum. Hebr. 11. Fides est substantia, id est, certa fiducia, non dubitatio, non opinio: qui enim dubitat, Deum mendacem facit, id est, tenet eum pro incerto in suis verbis & promissis, 1. Ioann. 5. Secundò, ad impetranda illa quæ sunt promissa propter Christum, qualis est remissio peccatorum. Act. 10. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, & c. Donatio Spiritus sancti, Ioan. 14. Vita æterna, Ioan. 3. quam dabit pater in nomine meo: & c. Qui credit in filium, habet vitam æternam. Tertio, Pœnitenti corde. Nam promissio misericordiæ non apprehenditur sine pœnitentiâ cordis & contritione, Marc. 1. Pœnitimini, & credite & c. Quarto, propter Christum, qui est causa misericordiæ, non tua fides & opera. Coloss. 1. Complacuit patri sibi omnia, & c. Nota, fides est substantia, id est, fundamentum: at supra fundamentum erigitur ædificium, id est, bona opera, 1. Corinthior. 3. Fundamentum est Christus & c. non ergo ociosa est cogitatio fides.

Secundò, Deus exigit & præcipit fidem, vt sciat homo, quòd habeat superiorem dominum, à quo omne venit, quod est & habet bonum, vt in illum solum speret, illum solum diligat & timeat, Iaco. 1. omne donum bonum, & omne donum perfectum; 2. Corint. tertio.

K k Non

Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, tanquam ex &c. Et ideo quoniam vult Deus à creatura (id est, homine) cognosci, coli, & sibi gratias pro beneficijs agi: ideo fidem exigit, & non vult sine fide saluare, aut iustificare, vel donare &c.

Tertio, fructus (id est, utilitas) fidei est, quod ipse est medium, per quod Deus vult distribuere beneficia, quæ meruit Christus, id est, iustificationem: Romano. 3. Arbitramur hominem iustificari fide absq; operibus legis. Receptionem in gratiam & filium, Ioan. 1. dedit illis potestatem &c. donationem Spiritus sancti, Ioan. 14. quem mittet pater in nomine patris & car. & vitam æternam, Ioan. 6. Hęc est voluntas patris mei qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Sine hoc merito fidei, nemo apprehendit beneficia Christi, & iam iudicatus est, Ioan. 3.

Sed hoc cautè notandum, quod sola viua fides est medium, per quod apprehenditur gratia Dei. Est autem viua fides, quæ adiunctam habet pœnitentiam: Marci 1. pœnitentini & credite Euangelio.

Secundò, dilectionem Dei & proximi, Galatas. Fides quæ per dilectionem operatur absq; illis, fides mortua est, Iac. 2. & quoniam opera testantur ad fidem, ideo solùm cogitare, Christus pro me mortuus est, & resurrexit Romanor. 4. sine pœnitentia & dilectione, non est fides. Non igitur volunt separari fides & opera, sicut nec ignis & calor eius &c.

Non sufficit ergo externè tantùm credere Christo, sed etiam ipsum pro te natum & passum, sine propria cordis pœnitentia & dilectione.

DE INTEGRA FIDE
Christi.
TITVLVS XXXVIII.